

GALENVS liuidas urinas a sola frigiditate, nigras uero a frigiditate uel caliditate fieri memorix prodidit: ea similitudine usus, quod a frigore externo partes liuescant; nigrescant uero cum uehementiore frigore & calore. Verum illius opinio refellenda est. Nam ut externæ partes frigidis actu causis expositæ liuorem & nigritiem contrahunt; ita internæ partes quum perpetuo caleant, donec uiuit animal, & frigidæ dicantur, quia minus habeant caloris quam temperata natura exigit, nequeunt tantum frigoris excessum experiri, ut liuorem contrahant & nigritiem; alioquin omnes qui moriuntur, quum ad eundem frigiditatis gradum perueniant, tales urinas mingerent, quod quum nequaquam fiat, constat aliam esse causam. At nulla alia potest esse, quam quæ sumitur ex mixtione humoris nigri, qualis est humor melancholicus & atrabilis. nam quum parum aliquid ex his humoribus miscetur, liuidæ fiunt urinæ; quum multum, nigra euadunt, id quod ostendit atramenti & aquæ mixtio, quæ pro mixtionis ratione hos pariunt colores. Cõtingit quoque ex rebus ingestis nigris tales fieri urinas. quo modo uidemus eos qui cassiam assumptur, urinas facere liuidas & nigrescentes. Nostram opinionem confirmant quaternarij, qui declinante morbo, urinas nigras emittunt, quod non potest alia ratione contingere, quam quod humor melancholicus uictus a natura, una cum urina expurgetur.

De vrinis oleaceis. Cap. XIII.

DE vrina oleacea multis in locis scribit Galenus. inter quos præcipuus est qui habetur in Commentario tertio libri tertij Epid. Text. 73. ubi scribit quosdam intelligere oleosam urinam pinguem, quæ sit colliquata pinguedine in morbis ardentibus; alios uero intelligere oleosam, quæ colore & consistentia sit oleo similis: quam urinam ait se sepius uidisse cum nullo egri detrimento: imo etiam concocto morbo, se tamen non uidisse urinam pinguem ut oleum. Iam enim quæ secundum colorem & crassitiam oleo similis est, nequaquam pinguem esse nimium, quum pinguedo suapte natura supernatet. Caterum urinam quæ colore & crassitie oleo similis est, tradit non exactè unum habere colorem & unam consistentiam; quoniam nec oleum ita exactè hæc habet; pallidam tamen omnino esse, sed uel magis uel minus: propterea illam quæ ad candidiorem uergit colorem, humorum denotare cruditatem: quæ uero colorem intense pallidum, ut ad flauum iam accedat, obtinet; biliosum ostendere humorem, & periculum indicari ab his urinis, non ob febris prauitatem, sed ob uehementiam: quorum aliqui, inquit, si reliqua sunt salubria omnia, breuiter liberantur. Sabinus refert quosdam intellexisse oleosam, id est biliosam, sed eos errare, quoniam bilis frequenter exit sine offensione, nec tam perniciose diceretur esse vrina oleosa si esset biliosa. Alios dicit illam fieri censere ossibus, cartilaginibus & neruis colliquis, & propterea periculum ostendere. Verum contra Galeni opinionem Sabini argumento agendum est. Nam si sita bile pallida aut flaua; quomodo potest ostendere cruditatem, præsertim si crassitiam iam habet qualem habet oleum? Sunt enim verè crudæ quæ sunt aquosæ & decoloratæ: quæ uero cum crassitie colorem habent, pallidum aut flauum ostendunt. Iam bilis generationem & exeretionem, & propterea cruditatem insignem non ostendunt. Quod si solam ostendunt cruditatem aut calorem biliosum; non proponerentur ab Hippocrate inter urinas quæ epidemicos morbos ostendunt. Scribit idem Galenus in libro primo de Crisibus; colliquationis esse signum si oleosa mingatur urina. In quo loco non potes oleosam urinam aliter intelligere, quam quod aliquid habet pingue quod olei instar supernatet. hanc enim loco præcitato & alibi ex pinguedinis colliquatione, ut rationi consonum est, fieri scribit; & propterea est quidem mala, non tamen lethalis, quandoquidem in pinguibus & mollioribus corporibus ex solis tertianis febribus tales sæpe reddi urinas uidemus. Malæ autem sunt & perniciosæ in hecticis febribus: nam tunc tales perseverant urinæ, (quod non fit in tertianis) & magnam ostendunt esse causam, quæ a corpore extenuato & exsiccato oleosam substantiam adhuc exprimat. Auicenna tres species facit oleosæ vrinæ; unam quam dicit totam esse vnctuosam & pinguem: aliam quæ solum est vnctuosa, in fundo: aliam uero quæ solum in superficie. addit quartam quæ colore oleoso apparet. Verum, ut inquit Galenus, quomodo quod pingue & vnctuosum est, potest mediam & infimam partem petere? Scribit idem auctor, oleosam ita dictam, quod colore sit olei, fieri, quod ab illa citrina mixta cum subliuitate quæ colori olei assimilatur, propter viscositatem quæ est in ipso, & translucetiam cum nitore adipino, & cum splendore substantiæ ad quædam spissitudinem trahit. Quæ uerba intelligi non possunt, ignoro enim quid per subliuitatem intelligat. Videtur tamen uelle, quod huiusmodi vrina fiat ex citrina bile cum aliqua materia viscosa: & mihi probabilis uidetur illius opinio, uerum oleum non habet re uera colorem pallidum, sed pallidum liuescentem. Quare uidetur mihi fieri ex portione billis pallidæ & atræ color vrinæ oleosæ. & propterea perniciosæ solent esse tales urinæ, eo quod atram bilem recipiunt, quæ cancriferos & malignos morbos parit. Et quia crudita-

tem